CAROLO ALOYSIO MORICHINIO

Viro Clarissimo et Eminentissimo

AESINATUM ANTISTITI


Die Natali Servatoris Nostri Redeunte

Pacificus Manganellius ex Massattio

GRATI ET OBSEQUENTIS ANIMI CAUSSA

HAEC CARMINA

MDCCCLVII

TE Viri, ite modo, o versus, ante ora verendi,
Qui sacro fulget murice Romulidum.
Ite modo, o versus: nostri et benefacta tenentis
Pergratos sensus promite vos animi.
Non jam vos nimis incultos nihilumque politos,
Quamquam Is permulto functus honore micat,
Despiciens tumidus parvorum carmina vatum,
In breve, nec lectos, coget, et abjiciet.
Is suavis, comis, omnigenâ versatus et arte;
Seu vates dictet carmina dulcisonus,
Seu doctor sacri pandat mysteria Libri,
Quem jam inspiratâ mente animoque sacri
Mandarunt genti, mansurum in saecula, Patres:
Haurit doctrinae ex quo sibi divitias.
Illius egregias virtutes claraque facta
Vindelicus quondam visit et obstupuit.
Haec propter Princeps, qui in Tybri regnat, ab orâ
Externâ claro laude novâ patrias
Ad sedes remeanti addit lumenque decusque,
Conspicuis prudens Patribus adnumerans.
O Aesina Urbs felix! o terque quaterque beata!
Hunc tibi Pastorem contigit excipere.
Te regit Is blandus semper, moderamine in omni
Virtutis custos Justitiaeque tenax.
Ille studet toto populis e pectore sanctos
Sollicitus mores composuisse suis:

Sive illis extet veri rectique suasor
Ingenioque acri, flumine et eloquii.
Seu Synodo dictet leges et jura ministris:
O factum dignum saecula quod celebrent!
Sive Illum teneat sapientis cura palaestrae,
Ut docti juvenes sint magis atque magis.
Quid referam pueros quanto amplexetur amore,
Rebus in angustis quos labor artis alit?
Hos elementa scholis nocturnis discere prima,
Ingredi et eximiae vult pietatis iter.
Cur ego nunc igitur dubito vos mittere, versus,
Quum juvenes toto diligat ex animo?
Ite, ite: Oceani lux et quum surget ab undis,
Quâ, Satanam ut barathrum cogeret in Stygium,
Aeternus Coelo Genitus demissus ab alto
Prodiit humanae Virginis e gremio,
Dicite votivas me fundere pectore voces,
Illum ut divinus sospitet usque Puer:
Semper et ex omni faciat dein parte beatum,
Atque sit aerumnis usque remota domus.
Hunc magis atque magis meritumque per ora virorum
Saeclum post longum gloria viva ferat.
Dicite me cupere, ut, postquam Illum longa senectus
Imminuit, visat regna beata Poli.
Illic nascentem Puerum tunc cernet; ab Illo
Oscula perpetuae pacis et accipiet.